



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. VII. De Maria, quae filium suum comedit assatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

& *Otho* usurpant principatum, quibus post annum & tres menses defunctis, *Vespasianus*, tunc apud Iudæam in exercitu existens, revocatur, & donatur imperio; commendata Tito filio suo causa belli, & impugnatione Hierosolymæ; sub quo præfata civitas capitur & subvertitur.

C A P. VI.

Subversio Hierusalem à Tito & Vespasiano.

Ecclēsia vero fidelium, quæ ibidem fuerat congregata, divino accepto responso, prævenit subversionem, & ad opidum, *Pellam* nomine, trans Iordanem emigrat. Tunc incredibilis fit cædes Iudæorum; & primo quidem diræ & inauditæ famis exitio plaga intolerabilis divinitus mittitur, in tantum, ut bella & cædes inter parentes & liberos committerentur, dum non solum è manibus, sed ex ipsis faucibus invicem rapere cibum decertant. Ad ultimum quidem ne loris vel cingulis, aut etiam ipsis calceamentis, abstinent. Portarum quoque indumenta detrahentes conficienda dentibus ingerunt, nonnulli & fœni veteris edunt festucas. Porro geritur ibi facinus execrabile, neque adhuc apud Græcos, neque apud Barbaros auditum.

C A P. VII.

De Maria, quæ filium suum comedit assatum.

Mulier quædam, *Maria* nomine, genere & facultatibus nobilis, quæ ad diem festum cum cæteris de

D

trans

trans Jordanis alveo confluerat, cum famis ingravescente periculo, & hostis deprædatione omnino jam fame deficeret, pessimis usa consultatoribus, parvulum filium, qui erat sub uberibus, jugulat, & igni suppositum torret. Dimidium quidem consumit, dimidium vero reservat. Prædonibus quidem, mox odore carniū comperto, ingressis, partem offert; *Mew*, inquit, *hic partus est. Nolite effici aut matre religiosiores, aut fœmina molliores. Edite: nam & prior comedi.* Illico universa regio tam nefarii sceleris nuncio repletur. Nec multo post magnifica & formosissima civitas Hierosolymorum capitur. Cujus quanta fuerit vastitas, quanta in ea diversarum mortium strages, vix scripto comprehenditur: ubi undecies centena millia fame & ferro peremptorum computantur. Exceptis quibusque juvenibus electis, qui propter decorem corporis, & proceritatem, ad triumphum reservantur, cæterisque aliis, qui ad opera Ægypti, vel ad secanda marmora, vel ad extrahenda metalla destinantur, vel per Provincias vinciti in servitutem distrahuntur, quorum fuit numerus usque ad nonaginta millia. Sed ne quis de hac captorum vel occisorum ambigat multitudine, noverit, tunc temporis ad diem festum Paschæ Hierosolymis convenisse terdecies centena millia Iudæorum, ad justam Dei retributionem hoc tempore ultionis electo: ut qui in diebus Paschæ Dominum Salvatorem morte turpissima damnarant, ipsi quoque turpis-

turpissimis mortibus & cladibus inauditis, eisdem diebus damnarentur; & qui in ejusdem Domini damnatione dies festos duxerant solennes, nunc ipsos suis damnationibus agerent luctuosos. Qui etiam recte fame pereunt, ut, qui Domino, esurienti salutem eorum, fel in escam dabant, omnimoda suavitate escarum priuarentur.

C A P. IIX.

De tempore subversionis Hierusalem.

Fit autem hæc Hierosolymæ subversio XL. annis à passione Domini dilata ultione, anno Imperii Vespasiani secundo: & interim potuissent Iudæi, si velent, locum pœnitentiæ invenisse, commoniti sæpe ab Apostolis, prædictam civitatis adesse everisionem. Et à Iacobo fratre Domini, edocti, dum viveret; per signa & prodigia cœlitus ostensa, ante tempus excidii commonebantur. Etenim stella præfulgens, gladio per omnia similis, imminere desuper civitati, & Cometes præterea exitialibus flammis per totum ardere visus est annum.

C A P. IX.

Novum portentum de vitula enixa agnum.

Vitula quoque, sacrificiis admota, in die festo azymorum, inter manus ministrorum enixa est agnum. Porta vero interioris ædis ærea, cum tanti ponderis, ut vix à xx. viris clauderetur, esset, vectibus & seris munita, nocte ultro patefacta est. Visi etiam

D 2

currus,